



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Gaspar Radinus n. 73

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

70. A PETRO HARSIO: Cum nefas sane (*inquit*) meo quidem iudicio fuerit, posteritatem tam illustrium gestorum Societatis, facinorumque tam inelytorum, quæ in bello hoc spirituali contigere, cognitione fraudare, est quodammodo furtum, ac sacrilegium potius, honorem supremæ bonitati, à qua omne emanat bonum, & Iesu Christo summo nostro Capiti, cuius gloria imprimis spectatur, debitum quadantenus subripere, & Ecclesiæ gaudium subtrahere, iuxta id 4. Reg. 7. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare, sceleris arguemur. *Hæc ille apud Fr. Ioan. Ponce in Approb. ad lib. de Triumphis fidei P. And. Perez.*

*Eius facta
nora non
recensere,
furtis, ac
sacrilegijs
annume-
randum.*

4. Reg. 7.
9.

71. A BELGIS Sapienibus, quorum vox erat: Si præter gymnasia nil foret, quo Reipublicæ prodesset Societas, merito fuisse in Belgium aduocandam, & quibus gaudet rectis, fortunisque omnibus dotandam. *Ita in Imag. 1. sec. Soc. lib. 6. fol. 772.*

*Illius Scho-
la quàm
Vtiles.*

72. AB AVLÂ HISPANICÂ Sub Philippo II. Cum aut nomen adhuc Societatis IESV, aut Instituta illa non nouisset satis, socios tamen, alij Papistas, titulo quàm odioso Hereticis, tam Catholicis glorioso: alij Apostolos magni Dei; Homines alij, sed humanæ carnis expertes, nominabant. *Sic Ibidem lib. 5. c. 10. fol. 668.*

*Socij Apo-
stoli magni
Dei, & ho-
mines hu-
mana car-
nis exper-
tes.*

73. A GASPARE RADINO Prope Craconiam Parocho: qui cum domi suæ haberet conuiuas celebris cuiusdam Ordinis Religiosos, & multa contra Societatem diu effutientes audiret, tandem Christiana charitate motus, maledicis hostibus dixit. Ô mei Patres, ego iam quadraginta annis cum Patribus Societatis familiarissimè ago, & nunquam vllum eorum vlli religioso detrahentem audiui, uti vos audio detrahentes viris de Ecclesia Dei, & Republica Christiana, ac de omnibus Religiosis Ordinibus optime meritis, quorum & exemplis templa vestra ad hunc splendorem reformata, & Institutione iuuentutis vestra Monasteria ante eorum aduentum vacua, modo sunt plena viris egregijs ex Scholis eorum suppeditatis. *Ita apud Nicol. Lancicium Tom. 2. Opusc. 17. n. 173.*

*Viri sunt de
Christiana
Rep. ac
Relig. Or-
dinibus
optime
meriti?*

*Quorum
industria
vacua Mo-
nasteria,
plena sunt
viris egre-
gijs.*